

Græci opera e profundo viginti circiter tormenta extracta fuere , ut eo sublato pondere facilius eveheretur ; eidemque quoad vivet e publico victus Senatus decreto exhibitus . Verum humanae industriae labor irritò conatu cessit . Nam adhibitus varii generis harpagonibus , atque ad sustollenda pondera machinis , sexcentisque in id summo nixu incumbentibus hominibus , ad majores triremes alligatum , fractis dissilientibusque rudentibus , ac funibus , educi nunquam potuit . Ita immani impensa , ingentique labore ad piratarum , prædonumque perniciem ædificata moles miserrime , nullo edito fructu , deperiit . Atque sub id ferme tempus Cosmi Florentiæ Ducis rostrata biremis , quæ Pelusiacum simum ingressa , ex Veneta navi Mauros nonnullos abstulerat , a Cypri triremium præfecto capta , temeritatis poenas dedit . Qua ex re summa Cosmus molestia affectus cum ad Senatum plenas querelis literas dedisset , iis , quæ præfectum ad id impulerant , cognitis , atque æquum non esse , ut Veneta navigia , quæ arcum instar tuta esse debuerant , ea cujuspam avaritiæ , ac libidini exponerentur , probatis Reipublicæ rationibus , acquievit ; mox ut capta biremis cum aliquot , qui supererant , captivis restitueretur , a Senatu impetravit , quæ Corcyram perducta est .

Ejus vero insulæ defensioni cum in primis Patres incumbendum esse animadverterent , Sfortiam Pallavicinum , summum peditum præfectum , eo proficisci jussere , ut una cum Reipublicæ magistratibus de illa exactius , atque ex militaris disciplinæ præscripto accuratius munienda ageret . Is , inspecto urbis , arcum , atque insulæ situ , variis exceptis sententiis , Venetas reversus , cum in Patrum Collegio copiose , ac subtiliter de Corcyra ab hostium impetu tuenda differuissest , ingens opus , quod hodie in immensam prope , nullis vel laboribus , vel sumptui parcendo , magnitudinem excrevit , Senatus consulto cœptum est . Pallavicinus magna auctoritate dignitate , militiae totius præfecturam est adeptus ; eique de more in divi Marci basilica vexillum Principis manu delatum .

Dum hæc a Venetis geruntur , Lutetiæ , depositis armis , ingentia pro inita pace signa edebantur , magnificentissimoque appartenit in spectacula , variorumque lusuum genera effusa civitate , nuptiæ concelebrantur ; cum Philippus e Belgio Atrebatum Episcopum , Albanum Ducem , ac Ruigomesium ad Henrici filiam sibi uxorem despontam accipiendam cum mandatis in Galliam

*Hetrusca
biremis a
Cypri trire-
mum præ-
fecto capta.*

*Sfortia Pal-
lavicianus
in Corcyram
missus ob
munições
statuendas .
Sfortia Pal-
laviciano
militiae
summa præ-
fectura tri-
buta .*